UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Quæstiones proœmiales circa Titulum Libri S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

QVÆSTIONES PROOEMIALES CIRCA Titulum Operis.

TITULUS S. DIONYSII AREOPAGITÆ AD TIMOTHEVM DE MYSTICA Theologia.

QVÆSTIO I.

Vtrum sanctus DIONYSIVS Areopagita fuerit Auctor hjuus libri MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

EAdem movetur quæstio de aliis libris, qui sub ejusdem sanctissimi Doctoris nomine circumferuntur; scilicet *de divinis Nominibus*, *de cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia*, & de quibusdam *Epistolis*, videlicet *ad Caium Monachum*, *ad Sopatrem Sacerdotem*, *ad Demophilum Monachum*, *ad B. Ioannem Evangelistam*, *ad Dorotheum*, *ad Polycarpum*, *ad Titum*, & *ad Apollophanem*: & de aliis operibus, quæ temporis injuria perierit, nempe de *symbolica Theologia*, de *Anima*, de *divinis Hymnis*, de *Theologicis informationibus*, de *justo & divino judicio*, & *de iis, quæ intelligentia, & sensu percipiuntur*.

Opinio nonnullorum præsertim hæreticorum.

Multi sunt hæretici, maximè Lutheri asseclæ, imo aliqui etiam Catholici, sed admodum pauci, qui *S. DIONYSIVM Areopagitam* horum librorum negant esse Auctorem: eo præcipuè ducti fundamento, quod neque antiquiores Patres illorum meminerint; nec *Eusebius Pamphili* Episcopus Cæsariensis, qui Scriptores Ecclesiasticos recenser.

Communis Catholicorum opinio.

Conclusio tamen affirmativa constat ex communi ferè Doctorum calculo; inter quos S. Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus Origenis discipulus, qui etiam adnotationes edidit in opera Areopagitæ, *teste S. Maximo*; idemque S. Maximus Monachus & Martyr, de quo Baronius *ad annum Christi 657. num. 31.* qui *Scholia* doctissima *in libros Dionysii Areopagitæ* conscripsit: S. Athanasius Alexandrinus, uterque Anastasius Sinaita, & Nyssenus, Elias & Andreas Cretensis, S. Joannes Damascenus, B. Simeon Metaphrastes, Euthymius Zygabenus: imo ex Pontificibus S. Gregorius Magnus *Homil 34. in Lucam cap. 15.* S. Martinus 1. in *Secretario 1. & 3. Lateran. Synodi*. Agatho in *Epist. ad Constant. IV. Imperat.* Adrianus I. *ad Carolum Magnum*. Nicolaus I. *ad Michaelem Imperat.* Quibus possemus addere Scholasticos ferè omnes, si pro omnibus aliis non sufficeret Doctor Angelicus Divus Thomas, qui passim pro sua sententia stabilienda commemorat hæc scripta Dionysii, quæ extant. Idemque libros *de divinis nominibus* Angelicè explanavit.

Librorum ejus deperditorum in quibus fiat mentio.

De illis verò, quæ perierunt, habemus in superstitibus testimonium; nam *symbolicæ Theologiæ*, quæ erat de nominibus DEI metaphoricis & impropriis, meminit Dionysius *cap. 15. de cœlest. Hierarch. cap. 1. & 13. de divin. Nominibus*, & *cap. 3. de mystic. Theolog.* De *libro de anima* mentionem facit in *cap. 4. de div. Nomin.* de *divinis Hymnis cap. 7. de cœlesti Hierarch.* de *Theologicis informationibus cap. 1. & 2. de divin. Nomin.* & *cap. 3. de mystica Theol.* de *justo & divino judicio cap. 4. de divin. Nomin.* De iis, *quæ intelligentia, & quæ sensu percipiuntur* cap. 1. & 2. *de Ecclesiastica Hierarchia*.

Pro hujus conclusionis argumento multa congerunt R. P. Petrus Halloix in *vita S. Dionys.* Pater Martinus del Rio in *Vindiciis Areopagiticis*, & alii plures apud Balthasarum Corderium *Tom. 2.* & apud Jacobum Galterium 1. *facul. 1. verit.* § 23. qui non solùm authoritatibus hoc ipsum, sed miraculis quoque comprobant. Eminentiss. Card. Bellarminus *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis* recensitis *S. Dionysii* præfatis operibus, sic inquit: *De jis Operibus viri docti & Catholici nihil dubitant. Soli hæretici Lutherani: & quidem Scioli, Erasmus, Valla, ac pauci alij negant opera supramemorata esse S. DIONYSII Areopagitæ.* Hactenus Bellarminus. Post tot tamque eximios operum Areopagitæ, etiam Societatis Jesu vindices, Daniel Papebrochius *Tomo 3. mensis Maij* de Actis Sanctorum *ad diem 14. ejusdem mensis, pag. 259.* Sequutus Scaligerum, similisque conditionis Authores admittere renuit, & apertè negat *libros de Hierarchia cœlesti & Ecclesiastica* conscriptos fuisse à *S. DIONYSIO Areopagita*, dum inquit: *Ego libros illos* (de Hierarchia) *suspicio ac veneror* (*quidquid de aliis scriptis sit, in quibus Auctor se indicat Apostolorum Synchronum*) *istorum saltem librorum compositorem, magnum DIONYSIVM, non Areopagitam appellaverim*, &c.

Vid. qua supra Tomo primo pag. 178 dicta sunt de hoc Authore.

Respond. argumento contrario sententiæ.

Nec obstat fundamentum in contrarium adductum: Respondetur enim primò non fuisse impossibile, quòd hæc scripta Eusebium, imo & Patres antiquissimos laterent, dum ex Galliis Romam, & inde in Græciam fuerunt deportata. Nec moris erat antiquiorum Patrum præter sactam Scripturam, alios Authores nominatim citare: nec, si Guilhelmo Budæo credimus, antiquissimi Patres defuêre, qui ex doctrina S. DIONYSII multa sibi decerpserint, ut sancti Ignatius in *Epist.*

ad

ad Trallianos, Gregorius Nazianz. Hieronymus, Chrysostomus, & alii.

Respondemus secundò, quòd PP. & Eusebius horum Scriptorum S. Dionysii non meminerint in causa potuit esse, quòd illa propter obscuritatem, atque sublimitatem, tanquam sacratiora apud solos Pontifices servare, & observari voluerint; ob hæreticos calumniatores, tum ob indoctos, & indisciplinatos. Pro quo facit Epistola Nicolai Papæ ad Carolum Calvum; cujus meminit Baronius ad annum 878. num. 62. in qua Pontifex conqueritur de quodam Joanne Scoto, qui libros Dionysii Areopagitæ ex græco in latinum transtulerat inconsulta Romana Ecclesia.

QVÆSTIO II.

Vtrum pro certo tenendum sit, Timotheum illum, cui Dionysius hæc scripsit, fuerit discipulus ille PAVLI notissimus & celeberrimus?

Baronii opinio. NEgat Baronius, & ante illum Flavius Lucius Dexter, (si verba ejus sint, quod plurimi negant) dicens Dionysium Areopag. libros *de divinis Nominibus* Eugenio Marcello dicasse, qui propter ingenii excellentiam appellatur *Timotheus*.

Affirmativa sententia tenenda. Conclusio tamen affirmativa inhabitata est apud omnes ferè Græcos, & latinos. Tum, quia *Timothei* nomen debet stare pro famosiori: tum, quia iste Timotheus præsens fuit exequiis beatissimæ Virginis, ut ipse Dionysius testatur *cap. 3. de divinis nomin.* quod de alio Timotheo affirmare nullum est fundamentum. Tum denique, quia Dionysius in *Epistola ad Titum* Pauli discipulum, hujus Timothei mentionem facit, *sanctumque* appellat: quæ ulli alteri Timotheo competere, qui Dionysio familiaris fuerit, & discipulus PAULI, eaque ista Dionysius scripserit, voluntariè dicetur.

Objectiones. Si objicias primò in *lib. de divinis nomin. cap. 4.* inveniuntur hæc verba: *Scribit autem & divus Ignatius, amor meus crucifixus est.* Quæ quidem sententia desumpta fuit *ex Epistola Ignatij ad Romanos*, paulò ante martyrium scripta, nempe anno decimo, vel undecimo Trajani, cùm jam Timotheus Pauli discipulus, & Ephesiorum Episcopus è vita decessisset. Secund. In libro Dionysii *de cælesti & Ecclesiastica Hierarchia* plura loca citantur ex Evangelio Joannis, quod Joannes scripsit reversus ab exilio sub Nerva, aut Trajano, cùm jam erat Timotheus obiisset.

Solvuntur. Respondetur primò, de obitu Timothei non constare, an sub Domitiano, an sub Nerva, an sub Trajano contigerit; sunt enim de hac re variæ opiniones; potuit igitur Dionysius ei adhuc viventi scribere, & prædicta testimonia referre. Respondetur secund. post obitum Timothei potuisse Dionysium superstitem scripta sua perficere, emendare & augere (quod multi Patres & Doctores fecerunt) & tunc prædictas authoritates superaddere. Respondetur tertio, ad locum Ignatii illum fuisse suppositum scriptis Dionysii ab aliquo sciolo, illis enim detractis, melius & efficacius cohæret sententia, & contextus Authoris, ut doctissimè probat D. Petrus Halloix *supra citatus*.

QVÆSTIO III.

Quid nomine Theologiæ mysticæ intelligatur in hoc titulo?

CUM S. DIONYSIUS huic operi nomen indiderit *Theologiæ*, & præcipuè *mysticæ*, hic disquirendum est; quid ille sub hoc nomine intellexerit? Quid autem ipse intellexerit, constat, tum ex ipsius nominis etymologia, tum ex doctrina tradita in hoc libro.

Quid Theolog. mysticæ nomine significetur. A nomine autem incipiendo, *Theologia mystica* idem sonat atque scientia, seu notitia DEI occulta, secreta, & obscura, cujus rationem plures reddidimus in *Catena* nostra *mystica Carmelitana*, *quæstione 2.* omnesque in eo conveniunt, quod contemplatio ista DEI fiat per negationem, & remotionem omnium cognitorum, quæ de DEO possumus affirmare & intelligere.

Theologiæ mysticæ descriptio. Unde quod ad rem attinet, sic potest generaliter describi: *Contemplatio DEI obscura sine inventu formarum, seu imaginum cognitarum.* Hæc descriptio colligitur ex illa ab omnibus recepta, quam tradiciptemer S. Dionysius de *divinis nomin. cap. 7.* & quam etiam explicuimus in dicta *Catena quæst. 3. Responso 1.* nempe: *Divinissima DEI cognitio, quæ est per ignorantiam cognita, secundùm unitionem supra mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea, & seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis, inde & ibi non scrutabili profundo sapientiæ illuminata.*

Colligitur etiam ex toto contextu hujus libri, in *primo* enim *capite* agit de divina caligine, in qua cæcutit ista contemplatio. In *secundo*, quomodo ad istam caliginem per negationem cognitorum ascendatur. In *tertio*, quomodo differat ista cognitio DEI ab illa, quæ est per affirmationem tam perfectionum per fidem, aut Theologiam supernaturaliter cognitarum; quàm etiam illarum, quæ lumine naturali de DEO propriè possumus affirmare; quam denique illarum, quæ symbolicè tantùm, & metaphoricè DEO attribuuntur. In *quarto*, quomodo DEO nihil rerum sensibilium debeamus tribuere. In *quinto & ultimo*, quomodo, nec etiam aliquid rerum intelligibilium in DEO concipere conveniat Theologiæ mysticæ. Ex quibus omnibus infertur peculiarem rationem hujus contemplationis, qua ab aliis discernitur, in illa remotione, caligine, & obscuritate cognoscendi sitam esse. Quomodo autem hoc inveniatur in Theologia mystica acquisita, & quomodo in infusa, atque in tribus ejusdem gradibus, ex dicendis patebit.

Legendi de his nostri Joannes à Jesu-Maria, *capite 2. Theologiæ mysticæ*, qui definitionem Theologiæ mysticæ *ibidem* tradens, uberrimè exponit, nonnullasque è sanctis Patribus, Doctoribusque mysticis, adducens simul declarat; & Philippus à SS. Trinitate in *summa Theologiæ mysticæ discursu proœmiali artic. 1.* Item Antonius à Spiritu sancto *Tract. 1. disput. 1. Directorii sui mystici, sect. 1.*

QVAESTIO IV.

Vtrum Theologia mystica sit idem habitus cum alia Theologia saltem supernaturali?

Theologia alia naturalis, alia supernaturalis: & hæc in quinque subdividitur partes.

SUpponimus Theologiam, seu scientiam de DEO aliam esse *naturalem*, nempe metaphysicam; aliam *supernaturalem*, saltem extrinsecè, quæ communiter in unoquoque quasi partes subdividitur. Prima est *positiva*, seu *expositiva*, sacræ Scripturæ. Secunda, *Polemica* quæ versatur in controversiis contra hæreticos. Tertia, *Scholastica*, quæ ex principiis revelatis conclusiones suas deducit ad indagandam veritatem circa divina. Quarta, *Moralis*, quæ agit de directione actuum humanorum. Quinta, *Mystica*, quæ sine interpretatione, argumentatione, discursu, vel indagine DEUM ipsum cognoscit. De his sacræ doctrinæ quinque partibus uberius agit noster Dominicus à sanctissima Trinitate in sua *Bibliotheca Theologica in septem Tomos divisa*, & Romæ edita ann. 1666. & seqq.

Ratio dubitandi est; quia reliquæ partes Theologiæ, quas modo retulimus, sunt unus habitus in specie infima, ut tenent communiter Thomistæ cum D. Thoma *prima parte, quæstione* 1. *articulo* 3. Confirmatur, quia ratio Angelici Doctoris utrumque videtur convincere, ex eo nempe quòd habeant unicũ objectum, Deitatem scilicet, quæ est ratio formalis *quæ*, ad quam reliqua omnia ordinantur; eandemque rationem formalem *sub qua*, nimirum abstractionem ab omni materia; & principia fundata in revelatione divina, quæ omnia inveniuntur in objecto mysticæ Theologiæ.

Sententia negativa exponitur ac probatur.

Dicendum tamen est, mysticam Theologiam, sive loquamur de acquisita, sive de infusa essentialiter differre ab alia Theologia, neque cum illa posse ad eundem habitum pertinere. In hoc debent convenire omnes Mystici, qui utriusque Theologiæ discrimen, vel ponunt, vel supponunt, ut videre est in nostra *Catena mystica, quæstione* 2. Probatur primò; Quia Theologia mystica sive sit acquisita, sive infusa, est quædam contemplatio, ac proinde simplex intuitus veritatis: Theologia autem in aliis partibus est discursiva & argumentativa, ut docet D. Thomas 1. *parte, quæst.* 1. *articulo* 8.

Secundò, Quia habitus Theologiæ Scholasticæ vel solum radicaliter & quoad modum; vel solum extrinsecè est supernaturalis, ratione objecti, atque principiorum secundùm se; intrinsecè tamen, & entitativè est naturalis: tum quia ultimo specificatur à mediis, seu principiis, ut subsunt discursui humano naturali: tum quia est habitus acquisitus, & non infusus; & ita docent communiter Thomistæ; sed habitus à quo procedit Theologia mystica acquisita, est habitus infusus fidei, imperatus ab habitu Religionis: habitus autem à quo procedit Theologia mystica infusa, est habitus infusus doni sapientiæ, vel intellectus fidem ipsam illustrans: & in supremo gradu non est aliquis habitus, sed actuale lumen infusum, ut suo loco dicemus; ergo non possunt convenire eidem habitui.

Satisfit cuidam objectioni.

Si dicas, Theologia mystica etiam adquisita est actus supernaturalis; ergo licet habitus sit adquisitus, non ideo erit naturalis. Respondeo, quidquid sit, an actus fidei, qualis est actus ille generalis, & simplex Theologiæ mysticæ adquisitæ, sit supernaturalis quoad substantiam, vel quoad modum, licet semper indigeat auxiliis communibus gratiæ: non est eadem ratio de habitibus; habitus enim supernaturales semper infunduntur saltem ad infusionem gratiæ, & non producuntur per nostros actus, etiam supernaturales, uti habitus Theologicus adquiritur per suos.

Unde ad rationem dubitandi respondetur esse diversam rationem de aliis partibus, aut quasi partibus Theologiæ; omnes enim per suos actus adquiruntur; omnes habent idem objectum tam quoad rationem formalem *quæ*, quàm quoad rationem *sub qua*; unde nec sunt diversæ speciei, nec proinde queunt esse plures in eodem subjecto.

Per quod etiam patet respons. ad confirmationem: nam licet ratio formalis *quæ*, objecti horum habituum sit eadem, ratio tamen formalis *sub qua* est diversa; siquidem respectu fidei est revelatio formalis; respectu verò Theologiæ est revelatio tantum virtualis, quatenus ex principiis fidei formaliter revelatis deducit, & considerat conclusiones, quæ virtualiter continentur in eisdem principiis, ac proinde quæ sunt virtualiter revelatæ. Unde *DEVS ut Deus*, & ut substans lumini divinæ revelationis formalis, est objectum specificativum fidei; ut verò substat lumini revelationis virtualis, est objectum specificativum Theologiæ. Nec est, cur in hoc amplius immoremur; nemo enim ibit inficias habitum fidei, & donorum Spiritus sancti diversum esse ab habitu Theologico.

QVÆSTIO V.

Vtrum aliqua meditatio propriè possit dici Theologia mystica?

RAtio prima dubitandi potest esse, quia aliqui dixerunt sub nomine *Theologiæ mysticæ* cadere omnes actus vitæ spiritualis, quibus ad DEUM cognoscendum incumbimus, ut videre est in *Catena mystica Carmel. quæst.* 2. *respons.* 2. Secundò. Quia proprium est Theologiæ mysticæ cognoscere DEUM per negationem omnium objectorum: sed aliqua meditatio ita tendit in DEUM, removendo, scilicet, & negando de eo quidquid positivum potest in DEO imaginatio, vel intellectus repræsentare: ergo saltem ista meditatio negativa dicenda erit Theologia mystica. Major patebit ex dicendis juxta doctrinam D. Dionysii: minor etiam patet; hic enim modus meditandi DEUM sæpius inculcatur à viris spiritualibus, utpote magis perfectus, quàm modus meditandi per affirmationem, vel quia sic possumus meditari circa DEI attributa negativa infinitatis, immensitatis, &c.

Sententia negativa eligitur, & confirmatur.

Conclusio tamen negativa videtur amplectenda ab omnibus tam Scholasticis quàm Mysticis. Prob. Quia, ut inconfesso est apud omnes, qui istam Theologiam intellectui adscribunt, illa est quædam contemplatio, imo & contemplationum sublimissima; sed contemplatio est actus intelligentiæ sine discursu, cùm sit simplex veritatis intuitio; meditatio autem consistit in indagine & discursu rationis: ergo, &c.

Ad primam rationem dubitandi respondetur, illam significationem Theologiæ mysticæ esse la-

tissi-

Solvuntur dubitandi rationes.

tissimam, & impropriam, & solum posse sustineri in eo sensu, in quo dispositiones, & media ad finem, nomine ipsius finis possunt appellari: sicut sub nomine vitæ contemplativæ cadunt ea omnia, quæ ad contemplationem conducunt, cùm tamen ipsa in sola contemplatione propriè & strictè consistat.

Ad secundam respondetur distinguendo majorem sistendo simplici intuitu in ipso DEO sic denudato ab omni alia forma, Concedo; removendo actualiter per discursum prædictas formas, nego. Dum enim meditantes istum discursum facimus: DEUS est super omnia; ergo non est sol, nec lux, nec sapientia, aut bonitas, prout nos sapientiam, & bonitatem concipimus: vel hoc modo; DEUS non est sol, nec lux, nec ista vel illa perfectio; quam ex creaturis ipsi attribuimus: ergo est super omnia, & nullo modo per ipsas cognoscibilis, ut in se est: simul concipimus illas imagines & formas rerum, quas de DEO negamus, quæ duo pugnant cum Theologia mystica, quatenus enim contemplatio est, non est discursus, licet eum supponat, & quatenus talis contemplatio ab aliis diversa, nullas concipit formas positivas, neque sub illis DEUM contemplatur.

QVAESTIO VI.

Vtrum aliqua contemplatio adquisita possit Theologia mystica nuncupari?

Quid sit contemplatio.

Contemplatio alia est infusa, alia acquisita.

Alia acquisitæ contemplationis subdivisio.

COntemplatio secundùm D. Thomam 2. 2. *qu.* 180. *art.* 1. & 3, est *simplex veritatis intuitus*: postquam enim per meditationem veritatem quæsitam invenimus, in ea contemplanda sistimus, cùm non sit ultra cur investigetur.

Inter plures contemplationis divisiones, quas in *Catena mystica* retulimus, præcipua est illa, qua in *adquisitam*, & *infusam* dividitur: adquisitam possumus exercere cùm volumus communibus tantum gratiæ auxiliis adjuti; cùm fiat juxta nostrum humanum modum operandi: infusam non nisi DEO peculiariter vocante, & auxiliis specialibus adjuvante, cùm sit supra modum operandi humanum.

Subdividitur *acquisita* in eam, quæ est per *affirmationem*, quando scilicet DEUM sub aliqua forma positiva concipimus: & in eam, quæ est per *negationem*, quando ipsum ab omnibus formis & imaginibus denudatum intuemur: & in eam, quæ fit per actum fidei simplicissimum, & universalem, quo DEUM ut quoddam totum perfectissimum, & incomprehensibile contemplamur. Quibus suppositis ex dictis in catena, & infra dicendis,

Ratio oritur dubitandi, quia communiter Doctores, qui loquuntur de Theologia mystica, eam ut quid divinum, & inaccessibile suspiciunt, nec putant posse aliquem ad eam pervenire, nisi variis purgationibus passivis, multisque charismatibus præventum, & specialissima gratia Spiritus sancti ad illam elevetur. Confirmatur, quia D. Dionysius quoties loquitur de ista Theologia, eam ut divinissimam extollit, statimque in 1. *capite hujus libri* valde supernaturalem, & infusam indicat, sub exemplo Moysis *Exod.* 24. qui jam purificatus, & non solum à populo, sed à sacerdotibus quoque segregatus ascendit ad montem: ergo cùm ex Dionysio significatum hujus nominis acceperimus, non debemus ad alia pro libitu divertere.

Authorii proponitur & expenditur sententia.

Dicendum nihilominus est, licet hoc nomen Theologiæ mysticæ antonomasticè, & pro famosiori sitet pro sola contemplatione infusa, & non quacumque, sed sublimiori & supereminenti; possetamen quoque significare aliquam ex contemplationibus adquisitis, saltem cum addito *adquisitæ*, ut ambiguitas evitetur. Ita ex Recentioribus noster *Iosephus à IESV-MARIA lib.* 1. *ascensus animæ ad DEVM cap.* 21. dum ponit differentiam inter mysticam Theologiam supernaturalem illustratam, & eam, quæ mediante fide nostro humano modo exercetur. Et in Apologia mystica *cap.* 2. ubi hanc contemplationem acquisitæ applicat definitionem D. Dionysii ex *cap.* 7. *de divin. nom.* asseritque sanctum ipsum Doctorem illam in 1. *cap Theologiæ mysticæ* docuisse: pro qua etiam sententia affert D. Thomam, 3. *sent. dist.* 34. *quæst.* 1. *a.* 2. Idem sequitur Auctor libri Theologiæ mysticæ, cujus in *catena* fecimus mentionem. Idem denique Auctor concordantiæ mysticæ, (quicumque ille sit, de quo nos alibi) qui *lib.* 21. *cap.* 20. 21. & 22. hoc explicat & probat tum rationibus, tum authoritatibus.

Lib. 1. *Ascensus animæ ad Deũ cap.* 21.

Diximus verò in conclusione; *aliquam ex contemplationibus acquisitis*: quia non omnis contemplatio acquisita debet hoc nomine gaudere, nisi illa, quæ DEUM, vel contemplatur negativo modo, denudatum ab omni forma, ut supra insinuavimus, & potest appellari primus gradus, tanquam primus ad eam ingressus; vel illa quæ per fidem simplici & universali actu in DEUM, tanquam bonum quoddam incomprehensibile, & à nobis pro hoc statu ignotum & inaccessibile erigitur, qui secundus atque ultimus gradus Theologiæ mysticæ acquisitæ potest dici, qui est velut prioris complementum. Nam contemplatio illa, sive consideratio propria incipientium, quâ DEUS affirmativè per formas, & imagines positivas cognoscitur, non debet talis appellari, utpote quæ valde discrepat ab ea, quam Dionysius in hoc, aliisque libris sæpius insinuat.

Conclusio igitur quoad primam partem de contemplatione infusa non indiget probatione. Quoad secundam de acquisita, probatur primò ex ipsa nominis etymologia; nam quatenus hæc contemplatio est cognitio DEI *Theologiam* sonat, quatenus autem DEUM contemplatur obscurè, & sine aliqua distinctione formæ, vel imaginis *mystica* benè audit.

Probatur secundò ex ipsius nominis impositione: Nam S. Dionysius non solùm illam non excludit ab illius significato, sed perspicuè comprehendit, quatenus ad eam consequendam pluries Timotheum monet & exhortatur, ut deserat representationes sensibiles, atque intellectuales operationes, &c. Quamvis enim in *fine primi capitis* infusam ipsam Theologiam celebret, ut probatur in confirmatione opposita; attamen in principio capitis de adipiscenda acquisita pertractat: præsumptuosum siquidem esset, imo & otiosum ad infusam Theologiam discipulos inducere, cum ea ex solo DEI beneplacito, & non ex nostris meritis, aut industria dependeat; & sicut est laudabile acquisitam appetere & procurare, ita superbia esset & præsumptio ad infusam nostris conatibus aspirare, ut passim docent Sancti, atque Doctores mystici,

Probatur tertiò ex analogia & similitudine cum

cum Mystica Theologia infusa: sicut enim ad istam per contemplationem puram, & denudationem objecti ab omni forma, & imagine, quasi per primum gradum ascenditur, ope doni intellectus; ita per contemplationem negativam, ad quã intraamus per remotionem factam ex industria nostra: & sicut in illa sistit intellectus in contemplatione DEI, quæ dicitur *divina caligo*; ita in ista ultimo sistit in contemplatione obscura, quæ est per fidem: ex qua etiam contemplatione fidei facilius & sæpius intellectus elevatur donis Spiritus sancti, & ad infusam contemplationem mysticam pervenit. *Primus quasi gradus hujus contemplationis.*

Ad rationem dubitandi respondemus, quod ex Auctoribus Mysticis plures in sola mystica Theologia infusa, & divina explicanda laborant, & ideo de acquisita non tractant. Plures etiam adeo eam extollunt, ut ineffabilem vocent; quia mystica Theologia absolutè prolata pro sola illa, quæ est infusa communiter supponit. Alii denique in ea fuêre sententia, quod nulla alia detur mystica Theologia, & quod S. Dionysius de sola infusa mentionem fecerit, sed debili, vel nullo nixi fundamento, ut ex dictis liquido constare videtur. *Satisfit rationi dubitandi.*

QVAESTIO VII.

Virum in aliqua ex supernaturalibus recollectionibus partu sensitivæ exerceatur mystica Theologia?

PEr delectationes & suavitates sensibiles solet DEUS animas adhuc teneras ad contemplationem allicere, sic enim cor deliciis spiritualibus saporatum, & quasi soporatum corporalia oblectamenta incipit fastidire, sensusque ab exterioribus ad interiora revocare, unde recollectionis nomen procedit. De pluribus istis recollectionibus sensibilibus egimus in *catena mystica prop.* 18. Et præter illam, quam ex industria possumus, & debemus procurare, sunt aliæ, quæ nobis supernaturaliter conceduntur; inter has inprimis est *Oratio*, quam vocant *recollectionis*, deinde *oratio quietis*, ad quam sequitur somnus quidam potentiarum, seu ebrietas soporifica, deinde alia ebrietas inquieta, & aliquando illa recollectio magis durabilis, in qua S. Mater TERESIA dicit, solere simul inveniri Martham & Mariam. In omnibus istis recollectionibus sensibilibus duo inveniuntur; unum est suavitas illa sensibilis in corde, alterum applicatio intellectus & voluntatis in anima ad orandum.

Pro parte igitur affirmativa ratio generalis potest esse, quia in omnibus istis recollectionibus solent sensus ad interiora revocari, solet imaginatio cessare à repræsentationibus sensibilibus, solet etiam intellectus DEO quasi in confuso attendere, & voluntas illum sic etiam in confuso, & sub quadam generalitate amare, quæ omnia consonant cum Theologiæ mysticæ cognitione, dulcedine & amore. Particulariter tamen loquendo de illa recollectione, in qua Martha & Maria, seu vita activa & contemplativa sociantur, Probatur, quia ista est una ex propriis actibus Theologiæ mysticæ in ultimo & supremo gradu, seu in statu unionis fruitivæ habitualis, ut diximus in *catena mystica Prop.* 30. *Resp.* 4. & 9.

Dicendum tamen est primo, si loquamur præcisè de illa suavitate sensibili, quæ solet prævenire actus deliberatos, sive illa proveniat naturaliter ex aliquo humore aut qualitate dilatante & exhilarante cordis ve ab influentia doni sapientiæ, cujus suavitas communicata voluntati, redundat aliquando in corpus, unde appellatur à S. Dionysio *Epist.* 9. ad Titum, *esca liquida profluens*, respectu alterius, quam vocat *solidam & stabilem*, quæ soli voluntati propinatur: quælibet ex prædictis suavitatibus, vel recollectionibus, nec est Theologia mystica, nec contemplatio, nec oratio, imo nec aliquid formaliter meritorium, cum antevertat actus deliberatos, nec sit in nostra potestate illam assumere, vel relinquere: omnia tamen illa potest esse causaliter, sive dispositive, quatenus ad orationem & contemplationem mentem allicit, unde solet ab aliquibus appellari *orationis seminarium*, ut diximus in *catena mystica quæst.* 18. *respons.* 7. *Conclusio prima.*

Dicendum est secundò, loquendo de oratione, quæ in istis recollectionibus exercetur, quando mens dicta suavitate præventa erigitur in DEUM, cognoscendum, vel eum amandum: tunc vel potest fieri meditando, quod (nisi quies illa sit valde magna) potest & debet anima procurare, ut docet S. M. N. TERESIA *Epistola* 18. *Tomi* 1. *suarum Epistolarum*, & Rev. D. Joan. Palafox Episc. Osmensis in sui, doctissimis supra easd. Annotationibus. Et sic valde differt à Theologia mystica, ut jam probavimus *q.* 5. Vel potest fieri ex eo, quod intellectus sistat in cognitione cõfusa Dei præsentis, & suspendat discursum rationis ex industria, animâ jam meditationibus exercita, & tunc dicetur contemplatio mysticæ Theologiæ acquisitæ, magis vel minus perfecta, secundùm majorem vel minorem applicationem animæ. Vel denique potest fieri ex mera influentia doni sapientiæ, vel intellectus (ut frequentius accidere solet in recollectione illa, quæ dicitur *oratio quietis*, & multo magis in somno potentiarum, vel ebrietate) & tunc cognitio illa DEI confusa ad mysticam Theologiam infusam reduci potest: nunquam tamen erit (nisi ex aliquo privilegio, & DEO ita pro suo libitu disponente) perfecta contemplatio mystica, cùm adhuc animus impurus, & ante purgationes sensibiles, & spirituales sit indispositus ad tam sublimes communicationes, & elevationes recipiendas. *Conclusio secunda.*

Hæc omnia ex terminis patent, & ex dicendis de mystica Theologia amplius innotescent. Solum ergo restat satisfacere objectioni, quam pro parte affirmativa adduximus pro illa recollectione, in qua videntur esse simul Maria & Martha. Et quidem posse hoc contingere, & potuisse sic in illo statu communicari Seraphicæ Matri, non est dubium. Ordinariè tamen loquendo, & secundùm id, quod accidere solet in illo statu incipientium ante purgationes passivas, & ante statum perfectissimæ unionis fruitivæ, quamvis aliqui sibi videantur ita suaviter incumbere operibus vitæ activæ, ut anima non desistat à contemplatione, & amore vitæ contemplativæ: revera non ita est, sed vel quidam fervor voluntatis, (quo, quamvis actualiter non sit unita DEO) faciliter & alacriter operatur externè per sensus, quæ ad DEI obsequium spectant; multoties etiam inter operandum in DEUM per amorem erigitur, unde frequentia istorum actuum interruptorum illis apparet continua. Vel quædam suavitas, & sapor in appetitu sensitivo, quo ipsi erga DEUM feruntur, *Respondetur supra probata.*

tur, & inde putat operans, etiam dum exte nè operatur, à DEI se amore non desistere: qui quidem sapor & devotio, vel remanet ex præterito fervente vo untatis amore ; vel redundat in corpus ex influentia doni sapientiæ, vel imprimitur ab Angelo bono juxta D. Thomam 2. *sent. dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 5. De quibus videri possunt quæ diximus in *Catena myst. quæst* 19. *Resp.* 8.

Illa tamen miraculosa operatio externa, quæ ex privilegio divino conceditur animæ, DEO in fruitiva unione habitualiter & actualiter uniæ, superioris est perfectionis & status, & quomodo hoc fiat, dicemus suo loco in peculari quæstione. Unde patet ad argumentum non inveniri istam proprietatem mysticæ Theologiæ, & unionis fruitivæ, in illa recollectione propriè & verè, sed tantùm apparenter modo dicto.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum in aliqua purgatione passiva, sive sensibili, sive spirituali exerceatur Theologia mystica?

POst prædictarum recollectionum dulcedines, & aliquando etiam prævie ad ipsas, solet DEUS misericorditer se subtrahere, & abscondere, animamque laboribus, & aridit atibus exercere, ut non jam lacte puerorum, sed solido nutriatur cibo, & plura vitia, quæ inter delicias ipsas quantumvis spirituales vel occultantur, vel oriuntur, penitus extirpentur. Dupliciter contingit ista purificatio, vel *sensibiliter* in parte inferiori, vel *spiritualiter* in superiori. In prima purgatione, quæ dicitur *sensibilis*, præter subtractionem divinarum consolationum, ex omni parte solent labores succedere ; ex parte namque dæmonum fit ista purgatio variis tentationibus, præterum carnalibus, varitique incursionibus aliquando visibilibus, aliquando invisibilibus : ex parte hominum diversis persecutionibus, murmurationibus, & afflictionibus ; ex parte corporis infirmitatibus & doloribus : ex parte ipsius animæ scrupulis, perplexitatibus & angustiis, &c. Altera purificatio est *spiritualis*, quæ aliquando statim & immediatè, & frequentius tamen aliquo vel multo tempore interjecto sequitur ad primam ; sed longe hæc illâ terribilior ; in sensibili enim solum intenditur ut subjaciatur corpus spiritui ; in ista ut uniatur anima DEO, quo enim magis inter se extrema distant, eò efficaciora, prolixiora & duriora media apponantur, quales sunt terribiles contra fidem tentationes, desperationes, blasphemiæ, spiritus vertiginis, ligatio potentiarum, & certissime sibi persuadere animam esse despectam & abjectam à DEO ; plures etiam ex prioribus laboribus jungantur, aliique diversi, de quibus egimus in *catena myst. quæst.* 15. & 16. Dicuntur autem passivæ istæ purgationes, quia adveniunt animæ passivè se habenti, & non ex propria voluntate, & industria, sicut activè exercentur mortificationes, pœnitentiæ, & jejunia.

Pro parte igitur negativa ratio potest esse, quia dum anima exercetur prædictis purificationibus, non solum experitur, & queritur se non posse meditari, sed nec de DEO cogitare, nec aliquid boni concipere, & cùm ad orationem, velit, nolit, accedit, se otiosam judicat, imo pro sanctis & devotis cogitationibus, turpes, blasphemas, & sacrilegas patitur : ergo longius abest à contemplatione Theologiæ mysticæ sive acquisitæ, sive infusæ.

Dicendum tamen est primò animam in purgatione sensibili disponi ad perfectam contemplationem Theologiæ mysticæ acquisitæ, & ad illam vocari per ipsamet aridit ates & impossibilitates meditandi, cùm enim jam non sint in statu meditationis, & eas DEUS ad contemplationem disponat, nullo modo illis ad antiquos discursus patet aditus. Quod optimè probat B. P. N. Joannes à Cruce *lib.* 1. *noctis obscuræ*, maximè *cap.* 10. ubi animas sic in purgatione passiva sensus patientes sæpius admoneat, ut de meditatione non sint soliciti, sed quiescere satagant in simplici & universali notitia DEI quantumvis imperceptibili, & siccis atque fastidiosis aridit atibus involuta.

Unde si anima nihil omnino velit operari, nec mentem ad DEUM ullo modo erigere, certum est contemplationi non vacare, sed omni prorsus vacare oratione. Si autem meditetur (quod pro hoc statu erit valde difficile) meditationem exercebit non contemplationem. Si verò aliquo modo ad DEUM mentem erigat, ut in obscura illa noctis caligine præsentem intueatur simplici quadam, & universali notitia, & amore, quod proprium est hujus status purgationis sensibilis, tunc contemplationem mysticæ Theologiæ acquisitæ, saltem imperfectè se exercere credat, & hæc est illa simplex notitia DEI, ad quam prædictus B. P. illas exhortatur, & primus nostris his temporibus hujus contemplationis doctrinam denuo suscitavit, quæ jam penè oblivioni tradita & abolita videbatur.

Dicendum est secundò, in purgatione passiva spiritus, quantumvis animæ se à DEO separatas & derelictas autument, sub unione quadam purgativa eas degere, mysticæque Theologiæ infusæ contemplationem exercere, imperfectè tamen adhuc, & initialiter, prout patitur status ille tenebricosus, & horribilis, quo ad illam perfectius consequendam transitionibus & pressuris expolitur. Quod latè docet & explicat idem B. P. N. Joannes à Cruce in *lib.* 2. *noctis obscuræ*, quam principaliter pro animabus, quæ per terribile hoc purgatorium ad perfectæ contemplationis & unionis statum sublevandæ erant, & ab inexpertis ducto ibus deinebantur. Videatur *ibid.* maximè *cap.* 5. & 17. ubi hanc ipsam purgationem appellat *contemplationem infusam* mysticæ Theologiæ, & hujus nominis rationem reddit.

Probatur & explicatur amplius utraque conclusio. Ratio cur in prima purgatione non possit anima meditari, & discurrere sicut solebat, ea est ; quia jam ab illo statu meditationis vocatur ad statum contemplationis, ejusque sensus consolatione destituti, atque imaginatio à qua discursus, & meditatio pendet, obscuritate, turbatione, & quodam velut suspendio præpedita inhabilis tunc est ad meditandum ; solumque illi remanet refugium ex parte superiori spiritus, in illa simplici & confusa notitia DEI, qua, licet insipidè & laboriosè, debet esse contenta. Hanc autem notitiam confusam esse mysticam Theologiam acquisitam, seu contemplationem illam per fidem exercitam, facilè intelligitur. Videatur B. P. *loco supra citato lib.* 1. *noctis obscuræ cap.* 10. & in *Ascensu montis Carmeli lib.* 2. ferè per totum, & quos citavimus Authores : *propos.* 15. *catenæ mysticæ*, S. M. Teresia, Joan. à Jesu-Maria in *scholæ oration.* Ven. Mater Feliciana à S. Joseph, *dialog.* 2. §. 2.

In

In secunda verò purgatione spirituali ratio cur anima nec meditatione partis sensitivæ, nec etiam in parte intellectiva refugium habet, est, quia utraque animæ pars redditur sterilis, arida, obscura, & turbulenta, imo invisibilibus nexibus ligata, ut diximus in *catena mystica quæst. 16. resp. 6.* Unde solum in divina misericordia supernaturaliter lucem dante potest gaudere.

Item propter impuritatem animæ eademmet lux contemplationis infusæ redditur illi obscura ac tenebrosa, ut docet & explicat N. B.P. Joan. à Cruce *lib. 2. noctis cap. 5.* Signum etiam hujus est, nòd quando lux ista contemplationis obscuræ tantisper sistit à modo operandi purgativo, incipitque suaviter, & modo illuminativo se communicare, veluti transfertur anima à carcere ad aulam, è purgatorio ad gloriam, à turbatione ad pacem, sentitque dulcedinem & suavitatem insperatam, experitur amorem, quo (licet ignoranter & occulte) DEUM inter angustias ardebat, ipsumque, licet obscurè, contemplatur præsentem, ut docit idem B.P. *eodem lt. 2. cap. 7.* post medium. Quæ omnia influentiam Theologiæ mysticæ infusæ satis ostendunt.

Respond. argumēt. pro sent. neg. adducto. Ad rationem pro parte negativa respondetur; verum quidem esse animam in hoc statu non posse sicut antea meditari, quod signum est, ad statum eam contemplationis vocari, uti supra diximus. Quod autem non possit de DEO aliquid cogitare modo solito, est propter impedimentum supradictum potentiatum. Cum quo tamen stat, posse in prima purgatione confusam illam DEI notitiam procurare: & in secunda, quando nec istud potest, in ipsamet anxietate, quam patitur ob absentiam DEI, & ob illam, quam timet ejus inimicitiam; & in proposito illum non offendendi; & in resistentia tentationum, fast dioque ad mundanas delicias aliquo modo potest (si mentis habitudo permitteret) experiri DEI amorem in voluntate, ac proinde in intellectu lumen illud, à quo ipse dirigitur.

Quod se judicet otiosam in oratione, provenit ab imperceptibilitate, & subtilitate influentiæ divinæ, cujus notitia pro majori humilitatis exercitio illi tunc denegatur. Quod pro cogitationibus sanctis turpes & pravæ illæ apprehensiones irrepant, hoc in parte inferiori tantum accidit, ubi dæmones se ingerere possunt. Desperationes etiam quas aliquando patitur in parte superiori, nō debent libertati adjudicari, cùm enim anima certo sibi persuadeat se esse reprobatam à DEO, non proponitur ei damnum ut evitabile, etiam arduè, ut spes locum habeat, sed ut certum & inevitabile malum, quod est objectum desperationis: puto autem ad supremum saltem mentis apicem desperationem istam non pertingere, cujus signum est, non dimoveri animam istam à proposito non offendendi deliberatè DEUM. Habitus autem fidei, spei & charitatis permanebunt illæsi, qui nō nisi actu deliberato deperduntur. Vid. *lib. 7. Tom. 7. Biblioth. Theolog.* nost. Dominici à SS. Trinitate *sect. 2.* & nost. Philip. *Tract. 3. summæ Theolog. mystic. discurs. 2. & 3.* & directorium mystic. Antonii à Spiritu sancto *Tract. 2. disput. 3. & seqq.* & P. Joseph à JESU MARIA, Feticianam à S. Joseph, & Annam à S. Augustino, locis à me citatis in *catena mystica Carmelit propositi. 16.* aliosque Authores.

QVÆSTIO IX.

Quænam contemplatio infusa dicenda propriè sit Theologia mystica?

Contemplatio infusa, alia est per affirmationem, alia per negationem.

COntemplatio infusa est simplex cognitio veritatis supra nostrum modum humanum, à principio supernaturali procedens, ut diximus in *catena mystica quæst. 12.* & inter alias divisiones, quas retulimus *quæstione 13.* eam magis probavimus, qua dividitur proportionabiliter ad acquisitam, in eam, quæ est *per affirmationem*, & quæ *per negationem*, & quæ est ex fide illustrata, & adjuta superiori lumine.

Quanam ex illa mystica censenda sit Theologia.

Dicendum ergo est primò, contemplationem infusam, quæ est per affirmationem, non esse propriè Theologiam mysticam. Probatur ex doctrina S. Dionysii, qui sæpè & maximè in hoc libro, in quo mysticam Theolog. adstruit, totus est in admonendo, removendas esse à DEO omnes positiones, quæ de illo aliquid affirmant, sive illæ sint impropriæ, & metaphoricæ, ut quod sit sol, lux, &c. sive sint propriæ & veræ, ut quod sit sapiens, justus, bonus, &c. quia non sunt in illo eo modo, quo à nobis concipiuntur, ut suo loco dicemus.

In quo perfectior Theologia mystica gradus positus sit.

Dicendum est secundò, contemplationem infusam, quæ est per negationem, & illam, quæ est per fidem illustratam ab aliqua donorum luce, vel transeunter infusa, ad mysticam Theologiam pertinere. Hoc explicatur. Contemplationem quæ fit per negationem, quando ex industria nostra removemus à DEO omnes positiones, & denique sistimus in conceptu illo negativo DEI, ut à nobis ignoti, ad Theologiam mysticam acquisitam pertinere, ut primum ejus gradum, patet ex supradictis quæstionibus; & similiter eam, quæ est per fidem in actu illo simplicissimo, & universali, in quo perfectior gradus Theologiæ mysticæ acquisitæ consistit. Contemplatio verò per negationem, sed infusa, (quando scilicet supernaturaliter elevatur illa, quæ erat acquisita; vel quando per donum intellectus purgatur & denudatur conceptus noster à qualiber apprehensione positiva, ut DEUM in caligine contemplemur) est propria Theologia mystica infusa, de qua D. Dionysius agit in *hoc libro*, ut patet.

Primus gradus Theolog. mystic.

Hoc tamen tripliciter contingit. Primò, quando in hanc obscuritatem & caliginem introducimur, adhuc tamen DEUM sub quadam ratione generali, & confusa cognoscimus, sine conversione tamen ad phantasmata, saltem perceptibiliter; & hic primus est gradus Theologiæ mysticæ infusæ, quem diximus contemplationis puram, & explicavimus in *catena mystica quæst. 22.*

Secundus gradus quis sit.

Secundò, quando anima jam assuefacta huic contemplationi, quasi in illa caligine, quam Deus inhabitat, immoratur, sentitque obscuritatem illam luminis inaccessibilis, sicut qui proximius intuetur radios solares visum defigeret; quæ quidem major obscuritas & puritas contemplationis mediæ nocti comparatur, & sub hoc nomine contemplationis in caligine pro secundo gradu Theologiæ mysticæ assignatur, ut amplius explicuimus in *catena quæst. 23.*

Tertiò denique, quando huic caliginosæ contemplationi accedit notitia experimentalis voluntatis, unde oritur in intellectu clarior DEI notitia, quæ proinde dicitur visio, in qua jam aurora divinæ lucis incipit aliquo modo clarescere, & ad diem

diem æternum invitare, qui est ultimus & principalis gradus Theologiæ mysticæ, de quo egimus *in Catena myst. quæst.* 24. & de his omnibus aptius infra redibit sermo.

Dicendum est tertiò contemplationem DEI, illustratam superiori lumine, etiam pertinere ad Theologiam mysticam infusam: patet hoc, quia prædicta contemplatio fidei non amplius illustrata, sed nostro modo humano exercita est mystica Theologia acquisita, ut supra diximus; ergo si illustrata lumine infuso, erit infusa.

Ad quem autem ex prædictis gradibus Theologiæ mysticæ debeat pertinere? poterat esse dubium. Mihi tamen videtur hoc ex dictis de contemplatione per negationem judicari debere. Cùm enim contemplatio fidei contemplationem per negationem perficiat, ut ibi soleat incipere, ubi illa jam definit, & pro conceptu pure negativo substituatur conceptus ille confusus, quo DEUM præsentem, sed ut incomprehensibilem contemplamur, eodem modo ac illa per prædictos tres gradus debet ascendere: ita ut in principio, quâdo incipit elevari ad contemplâdum DEUM purè ad primum gradum: cùm verò jam mens assuefacta frequentius DEUM in caligine intuetur per fidê majori lumine perfusam, ad secundum: cùm verò ad istum accedit notitia illa experimentalis voluptatis, & lumen actuale mentem clarius illuminans ad tertium gradum pertineat.

Nullus enim debet dari gradus Theologiæ mysticæ, quem fides non comitetur, vel includat; nullus ita clarus & explicitus, qui fidei obscuritatem omnino effugiat. Præcipuè tamen tribuimus in *Catena myst. quæst.* 13. contemplationi fidei elevaræ secundum gradum mysticæ Theologiæ, qui est contemplatio in caligine propter obscuritatem fidei; & tertium etiam gradum, quando adjuncta notitia experimentali clarescit contemplatio, quam vis nunquam fidei aliqualem obscuritatem non sustineat. Videantur quæ *ibi* diximus, & Joan. & Joseph à IESU MARIA. B. P. Joan. à Cruce, Hieronym. Gratianus Antonius à Cruce, Thomas à JESU, aliique Auctores mystici, quos *ibidem* citavimus. Unde remanet, solam illam contemplationem infusam, quæ est per affirmationem, ad rationem mysticæ non pertinere.

QVAESTIO X.

Vtrum in omni contemplatione Theologiæ mysticæ inveniatur raptus, vel in omni raptu Theologia mystica?

IN quo raptus differat ab ecstasi, constat ex dictis in *Catena mystica propos.* 29. & 37. & amplius explicabitur *infra in quæst. de divinis nominibus.* Unde etiam constat alios esse perfectos, alios imperfectos, activos, vel passivos. quo supposito,

RATIO dubitandi potest esse, quia raptus sensuum exteriorum ad imaginationem, est ad aliquam visionem imaginariam: visio autem imaginaria non potest compati cum Theologia mystica, à qua exulant omnes imagines. Deinde raptus sensuum etiam internorum ad intellectum fit ratione alicujus visionis intellectualis: visio autem intellectualis non potest esse de DEO extra visionem beatam, nisi sub aliqua forma rerum creatarum, quod etiam pugnat cum Theologia mystica. Si autem est alicujus rei creatæ, putà Angeli, animæ, gratiæ, vel virtutis, &c. jam non est cognitio DEI, qui est objectum hujus Theologiæ. Denique in statu unionis habitualis, in qua exercetur perfectior gradus Theologiæ mysticæ, cessant omnes raptus, ut docet *in castello animæ* S. M. N. Teresia *mansione 7. cap.* 3.

Nihilominus Doctores mystici, quos sequitur noster P. Philippus à SS. Trinitate *in summa hujus Theologiæ discursu proœmialis art.* 8. dicunt, raptum adeo esse proprium hujus contemplationis, ut in supremo gradu nequeat de potentia ordinaria esse sine illo; ut hoc tamen suo ordine explicetur, Dicendum est primò, non omnes raptus imperfectos concurrere cum Theologia mystica infusa. Probatur, quia oratio recollectionis, quietis, & ebrietatis inter raptus imperfectos numeratur, in quibus licet usus sensuum non deperdatur omnino, manet tamen ita suspensus, ut difficulter anima utatur illis: constat autem ex dictis *quæst.* 7. non dari ordinariè loquendo, contemplationem Theologiæ mysticæ infusæ in illis recollectionibus; licet frequenter inveniatur contemplatio Theologiæ mysticæ acquisitæ, ergo non semper hæc, vel illa inveniuntur in raptibus imperfectis.

Dicendum est secundò, in omni contemplatione Theologiæ mysticæ perfectæ, sive acquisitæ, sive infusæ sæpe dari aliquem raptum saltem imperfectum. De acquisita patet experientia ordinaria; quod si fuerit perfecta, ita attendit ad DEUM, ut oculos libenter claudat, & ad sensibilia non facilè attendat, quod vocamus raptum imperfectum, saltem activum. Et ratio est, quia in ista contemplatione etiam acquisita, quando est perfecta, adeo intellectus in illa notitia confusa occupatur, ut nec ad reflectendum supra proprium actum debeat diverti, ut ex doctrina D. Dionysii diximus *in Catena myst. Carmelitana.* Intellectus autem ita attenetur (quamvis ex propria industria) non potest simul ad sensibilia attendere; cùm non possit simul intelligere plura, ut plura: unde sensus judice destituri, vel actus suos non exercent; vel si exerceant, ut intellectum perturbent, tunc ille à contemplatione cessaret; cessante verò illa jam non procedit quæstio. Hoc de infusa à fortiori sequitur, ut ad minus cum aliquali raptu saltem imperfecto debeat inveniri.

De raptu autem perfecto dicendum est secundò, posse etiam dari sine contemplatione Theologiæ mysticæ. Quod probant rationes dubitandi. Theologiam tamen mysticam infusam & perfectam, ordinariè loquendo non inveniri sine illo. Hæc pars probatur primò, quia ista contemplatio perfectior est, quàm illa, quæ ad visiones, sive imaginarias, sive intellectuales consequitur: ergo non erit minus efficax ad retrahendas & suspendendas inferiores potentias. Probatur secundò, quia tres gradus Theologiæ mysticæ supra numerati solêt correspondere tribus gradibus unionis perfectæ, ut diximus *in catena myst. quæst.* 30. Quod ex eo probatur, nam imprimis tertius gradus Theologiæ mysticæ resultat ex ipsa unione fruitiva & reali: secundus unionem affectivam inducit, eadem enim influentia doni Spiritus sancti, quæ intellectui communicatur ad contemplandum, simul influit in voluntatem, & ad ejus amorem & unionem ordinatur: & idem proportione servata dicendum de primo. Sed gradus isti unionis ordinariè saltem loquendo, cum raptu inveniuntur; ergo, & gradus Theologiæ mysticæ.

Minor hujus probationis non potest efficacius suaderi, quàm fidelissima experientia Seraphicæ Matris nostræ, quæ adeo sibi invicem sociari raptum, & unionem experiebatur, ut sæpe sub nomine unionis raptum significet, ut advertit nost. ven. Pater Hieronymus Gratianus *in dilucidario spirit. 2. part. c. 1.* Quod tamen intelligendum est de unione infusa, & perfecta, qualis est in tribus illis gradibus. Imo addit ipse *lib. 1. cap. 5.* raptum appellari à S. Matre Theologiam mysticam, quatenus in eo repetitur & exercetur altissima, & obscura DEI cognitio. Unde colligitur saltem frequentius, & ordinariè ista tria, scilicet, unionem, Theologiam mysticam, & raptum sibi invicem associari. Fatetur tamen ipsa aliquando ab ista suspensione potentias inferiores extricari cum magna animi contemplantis afflictione & pœna.

Consulèd. de his nost. Balthasar à S. Catharina in suis Commentar. *castelli animæ.*

Deinde discurrendo per singulos gradus eadem minor suadetur ex eiusdem doctrina. *Primus* enim unionis perfectæ gradum, quem appellat *visitationem sponsi*, inter suspensiones enumerat *Tomo primo Epistolar. Epist. 8.* & licet non sit tam violenta, quàm raptus ille, quem hispanicè vocat *arrobamiento*, asserit tamen *mansione 5. castelli animæ, cap. 1.* majorem esse, quàm in oratione quietis, quia brevissima illa hora, qua durat, non potest sensibus uti. *Secundum* autem, quem *sponsalia* vocat, cum frequenti, & magno raptu fieri fatetur eadem *mansione 5. cap. 4.* Unde nomen *unionis ecstaticæ* sortitur est. *Tertium* denique, in quo matrimonium celebratur, & in quo solet exerceri supremus gradus Theologiæ mysticæ, miratur quidem *mansione 7. cap. 3.* jam suaviter, & sine raptu exerceri, nisi raro; & alibi addit se loqui de raptu quoad solitam violentiam, atque membrorum mortificationem, non tamen quoad alios effectus. Ubi advertendum est, hic agere de statu unionis habitualis, in quo etiam aliquis raptus dicit inveniri, non verò de unione actuali, quando simul cum habituali jungitur aliquando, de quo tempore in eligendam puta illam exceptionem *nisi raro*, in qua raptus totales & perfectissimos experiebatur, tunc enim altissimam Theologiam mysticam hujus tertii gradus exerceri credendum est.

Tres gradus unionis perfectæ assignantur & declarantur.

Ad rationes dubitandi, in quantum videntur militare contra nostram sententiam, respondetur, nos etiam ingenuè fateri, non consistere Theologiam mysticam in ipsis visionibus, sive imaginariis, sive intellectualibus, nec in contemplatione earum, sed in contemplatione Theologiæ mysticæ infusæ dari raptum perfectum ordinarie loquendo, sive illa præcedat, sive subsequatur ad prædictas visiones, quæ non necessariò illi adveniunt. Si autem dum intellectus sic in obscuro DEUM contemplatur, prædictæ visiones se ingerant, interrumpitur contemplatio, vel mutatur in alteram affirmativam, sub qua præcedens raptus potest continuari. Ad ultimam instantiam de supremo gradu Theologiæ mysticæ, patet responsio ex §. præcedenti.

Respond. ad rationes supra propositas.

QVÆSTIO XI.

Vtrum omnis contemplatio sit supernaturalis, & infusa: ac proinde inepta sit divisio in infusam & acquisitam?

Quot modis possit dici actus aliquis naturalis, aut supernaturalis.

QUomodo naturale & supernaturale dicantur à natura, dicemus *infra ad caput primum Theologiæ mysticæ*. Nunc sufficit præsupponere aliquem actum naturalem, aut supernaturalem posse talem esse intrinsecè, entitativè, & absolutè, vel solùm extrinsecè, & secundùm quid, vel secundùm aliquem modum.

Ratio ergo dubitandi est, quia missa contemplatione Philosophorum gentilium) illa, quam dicimus Christianam, semper est supernaturalis; quia vel est actus proprius elicitus ab habitu fidei, qualis est gradus ultimus, & perfectus illius, quam dicimus contemplationem mysticæ Theologiæ acquisitæ, vel est elicitus à charitate, aut Religione infusa: quamvis enim charitas & religio sint in voluntate, & contemplatio in intellectu, quando talis contemplatio non elicitur immediate ab aliquo habitu intellectus, sed ab ipsa potentia dicitur esse elicitivè ab habitu imperante, seu applicante intellectum ad contemplandum, nimirum charitate, aut religione, ut docet Bañez, & alii Thomistæ, quas sequuntur nostri Salmanticenses *To. 3. sui curs. Theologici in 1. 2. Tract. 12. disp. 2. dub. 1. n. 8.* Sed actus elicitus ab habitu supernaturali est entitativè supernaturalis: ergo omnis contemplatio Christiana talis erit.

Hoc autem admisso sequitur, quod etiam dicenda sit contemplatio infusa: siquidem procedit ab habitu infuso, indiget auxilio supernaturali & infuso; ergo non est apta & congrua divisio in contemplationem acquisitam & infusam; seu naturalem & supernaturalem, cùm non sit in membra opposita, sed etiam illa, quam dicimus acquisitam, supernaturalis est & infusa.

Discrimen inter contemplationem acquisitam & infusam, naturalis & supernaturalis quoad substantiam & quoad modum.

Nihilominus retinendus est communis modus loquendi Mysticorum, qui valde diversas contemplationes sub his nominibus inculcant. Ut videre est apud nost. Thomam à JESU *de contempl. lib. 1. cap. 2.* nostrumque Philippum à SS. Trinitate *in summa mysticæ Theologiæ part. 2. tract. 1. disc. 2. art. 2.* Dicendum ergo est primò, aptam & congruam esse prædictam divisionem, ita ut nomine *acquisitæ* intelligatur illa, quæ licet sit supernaturalis quoad entitatem est naturalis quoad modum: & nomine *supernaturalis* illa, quæ est semper supernaturalis tam quoad entitatem, quàm quoad modum. Probatur & explicatur, quia non omnis contemplatio acquisita etiam Christianorum est entitative & simpliciter supernaturalis, & quamvis aliqua talis sit, non est supernaturalis quoad modum: sed illa, quam dicimus infusam, semper est supernaturalis quoad substantiam, & quoad modum: ergo ne sit æquivocatio in istis contemplationibus, congruè nominatur absolute una *acquisita*, & altera *supernaturalis*.

Consequentia debet admitti; satis enim distinguuntur, naturalis saltem quoad modum à supernaturali etiam quoad modum: & supposita notitia terminorum, hoc intelligitur per nomen acquisita, & supernaturali, vel infusa. Major quoad primam partem patebit ex solutione argumenti. Quoad secundam explicatur, quia omnis con-

tem-

templatio acquisita sæpe præsupponit discursum meditationis; ad illam verò applicamur ex industria nostra; ad illam movemur voluntate propria; nec unquam omnino denudatur à phantasmatibus; semper utitur speciebus naturaliter acquisitis; semper est minus pura, clara, & efficax: in quibus omnibus non excedit modum nostrum naturalem operandi, ac proinde naturalis est, saltem quoad modum. Econtra verò quæ dicitur supernaturalis, & infusa, non expectat discursum, nec applicationem nostram: ad illam movemur à solo DEO; non dependet à phantasmatibus, multoties utitur speciebus infusis; estq; purissima, clarissima, atque efficacissima; in quibus omnibus excedit modum nostrum naturalem operandi, atque adeo est supernaturalis quoad modum.

Dicendum est secundò, optime etiam significari nomine acquisitæ, vel humanæ, & infusæ vel divinæ. Probatur; hæc nomina non tribuuntur contemplationi ex habitu acquisito, vel infuso, ex quo procedit, sed ex ipsomet actu contemplationis, qui vel fit ex propria industria, & applicatione nostra secundùm modum nostrum humanum, ut supra diximus, & hanc appellamus acquisitam, & humanam, vel ex peculiari motione, unctione, & illuminatione Spiritus sancti sine aliqua industria nostra, imo supra modum humanum, & hanc ideo appellamus infusam & divinam.

Quod optimè distinguit D. Thomas *in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 2.* ex diverso modo operandi virtutum etiam infusarum & donorum; nam virtutibus utimur cùm volumus, & nostro humano modo accomodantur, dona autem supra modum sunt nostrum. *In his autem, quæ super rationem sunt* (inquit S. Doctor) *perficit fides, quæ est inspectio divinorum in speculo & in ænigmate: connaturalis enim modus est naturæ humanæ, ut DEVM non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinum percipiat. Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur supra humanum modum est; & hoc facit donum intellectus.* Unde intellectus ita motus & illuminatus adeo suaviter & facilitèr operatur, ut licet re vera operetur, potius tamen pati & agi, quàm agere videatur, juxta illud ad Romanos 8. cap. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij* DEI, &c.

Ex quibus ad rationem dubitandi in principio positam, respondetur distinguendo majorem; est actus supernaturalis, vel intrinsecè, & entitativè, vel extrinsecè, non tamen quoad modum concedo. etiam quoad modum neg. Actus enim contemplationis, qui fuerit actus fidei, seu ab habitu fidei immediatè, & propriè elicitus supernaturalis est, juxta Tridentinum *sessione 6. canone 3.* Imò est supernaturalis secundùm suam entitatem, & substantiam secundùm veriorem & communiorem sententiam contra Scotum; quod etiam invenitur in actibus virtutum Theologicarum (quidquid sit de actibus moralium infusarum, de quibus legendi nostri Salmanticenses *lib. 2. Tract. 12. disput. 3. dub. 36.*

Actus contemplationis quando sit solum extrinsecè & secundùm quid supernaturalis.

Actus verò contemplationis, qui non procedunt elicitivè ab habitu fidei, vel ab aliquo lumine eum supplente, sed immediatè ab ipsa potentia intellectus, licet aliquo modo imperatus à charitate, vel ab aliquo habitu supernaturali, licet supponat fidem tanquam sui certum fundamentum, solùm extrinsecè, & secundùm quid erit supernaturalis, entitativè autem naturalis. Ratio autem ibi tacta, quòd sit actus elicitus à charitate, ex eo quod non procedat immediatè ab aliquo habitu imperato ab illa, sed à potentia, solùm probat esse actum charitatis, & elicitum ab illa impropriè, quia non est propriè imperatus ab illa, sicut quando fit medio alio habitu; non tamen quòd sit propriè elicitus à charitate, sicut actus ab ea immediatè procedens; ille autem modus eliciendi non sufficit, ut actus sit entitativè, & intrinsecè supernaturalis. Videantur *iidem Salmanticenses loco supra citato.* Sive tamen sit actus supernaturalis intrinsecè, vel extrinsecè, non dicitur contemplatio supernaturalis, seu infusa in sensu supra explicato, cùm non sit supernaturalis quoad modum seu supra nostrum modum humanum operandi. Et hæc videntur sufficere pro proœmialibus.